

DE
SYNEDRII MAGNI
QVOD HIEROSOLYMIS FLORVIT
PRAESIDE
CVM
FASCES PRAESIDIALES
VIRO
MAGNIFICO GENEROSO MAXIME-
QVE STRENVO DOMINO
DOMINO
CAROLO ERNESTO
RAMSEY

PRAECONSVLI CIVITATIS ELBINGENSIS GRAVISSIMO
VICES PRAESIDIS HACTENVVS GERENTI

NEC NON
PROTOSCHOLARCHAE OPTIMO

EX
AMPLISSIMI MAGISTRATVS
CONSILIO AC VOLVNTATE

D. XIV. OCT. MDCCLXV

PRIMUM COLLATOS
GRATVLARENTVR

GYMNASII DRVSICI MVSAE

COMMENTATVR NONNVLLA

IOANNES LANGIVS

ATH. RECT. P. P. ET BIBL.

ELBINGAE
LITTERIS NOHRMANNIANIS.

SYNOPSIS MAGNI
QUOD HIEROSOLYMIS FLORENT
FASCES PRAESIDIALES
VIRO
MAGNETICO GENEROSO MAXIME
QUE STRINO DOMINO
DOMINO
CAROLO ERNESTO
RAMSEY
PRAECORSUM CIVITATIS EBBINGENSIS GRAVISSIMO
VICES PRAESIDIS HACTENUS GERENTI
PROTOSCHOLARCHAE OPTIMO
AMPLISSIMI MAGISTRATVS
CONSILIO AC VOLUNTATE
PRIMUM
Gymnasium
IOHANNES LANGIVS



Pol. 8. II 1371 / est, -





Ifacidarum Theocratiam omnia, quae mundus unquam vidit, imperia rerumque publicarum formas & sanctitate & aequitate multis parasangis superasse, adeo confecta res est, ut lychnum soli accendere, ululasque Athenas ferre viderer, si ea de re fusius disputandi mihi animus esset. ^{a)} Quando enim DEVS in constituendo ac gubernando Hebraeorum populo, singulari prorsus ratione ea praestitit, quae a Regibus, penes quos summa principatus est, fieri solent: nullum sane illo, quod sub auspiciis divini legislatoris rerumque Judaicarum moderatoris floruit, sanctius, perfectius nullum ne votis quidem expeti potuit imperium. DEO quippe, populi Israelitici Domino, placuit, leges cum ceremoniales tum politicas ferre, inque causis gravioribus jus dicere; placuit ei, bello annunciato in praeliis antecedere, signumque dare, vel ulterius cum
2 exer-

^{a)} conf. *Spenceri diff. de Theocratia Judaica, quae L. I. de leg. Hebr. ritual*
p. 226—234 exstat. cui addatur *Witsii oratio de Theocr. Israelitarum,*
Godwini Mosi & Aaroni in edit. Reizii praemissa.

exercitu proficiscendi, vel manendi; placuit denique, de omnibus, ad salutem & tranquillitatem necessariis, prospicere, &, ut ex decreto divino omnia fluant, arbitros constituere, vices ipsius gerentes.

Quamvis vero sequenti tempore DEVS a Judaeis se spretum esse quereretur, b) cum hi ex consuetudine aliarum gentium Regem eligendi potestatem sibi expeterent: non tamen aliis, quam quas per Mosen dedit, legibus Judaeorum Politiam imposterum gubernari iussit. Hinc non Reges modo, ad gubernacula imperii Israelitici evecti, sedulo admonebantur, ut ad amissam voluntatis Altissimi, quam ex oraculis divinis cognitam sibi perspectamque reddiderunt, c) omnia sua consilia, omniaque judicia dirigerent; d) sed varia quoque in Judaea instituebantur Collegia, ac virorum & dexteritatis & sapientiae, fama inclutorum Confessus, qui dignitate judicum induta, sub praesidio alicujus causam DEI inter Haecides agere, eorumque felicitatem promovendi, bene facta praemiis ornare, male vero patrata ad legem divinam poenis afficere tenebantur.

Cui rei si vel aliud maxime inserviebat augustum illud ac nationale e) LXXI Senatorum Collegium, quod Hierosolymis, sub nomine Synedrii M. seu מנהלן institutum, multum imperii, auctoritatis, potestatisque obtinuit. De quo incluto Judaeorum Concilio varia quamvis notatu ae-

b) 1 Sam. VIII, 7. X, 19. add. Allgem. Weltgeschichte, III Th. §. 144—146.

c) Deut. XVII, 18. 19. 2 Reg. XI, 12. 2 Paral. XXIII, 11.

d) Schickardus de jure regio Hebraeorum cum not. Carpzovii. Conringius, Leydeckerus & Sigonius de rep. Hebr. Danhaueri politica Hebraea. add. Buddei H. E. V. T. T. II. Per. II. Sect. III. §. 75. p. m. 267. 268.

e) ut Humphrey Pringleaux in Conn. V. & N. T. P. I. L. V. p. m. 272. P. II. L. I. p. I. illud vocat.

que dignissima dici possent: f) hac tamen sufficiat vice, illius tantum, qui supremum in eodem occupavit locum, rationem habuisse.

Splendida omnino Gravissimo Synedrii Praesidi imponebantur quondam nomina: quippe Witsio g) ac Ludio h) testibus, non modo נשיא בכל מקום Princeps omni loco, & ראש הישועה Caput iudicii, sed simpliciter etiam נשיא Princeps, ראש Caput, & מופלא Admirabilis vocabatur. Nec est cur dubitemus, Praesidi tanti Confessus has convenisse denominationes, cognitis paululum, quibus ille ornatus fuit, praerogativis animique dotibus. Egregia sane R. Jochanani, Celebris Judaeorum Doctoris, fuit sententia, i) quae ex calamo Lakemacheri in vernaculam latinam translata, ita se habet: k) „Non legantur in Synedrium nisi viri sapientes, formosi, proceri, aetate graves &c.„ Cui pollicem premit auctor libri Cosri, l) in quo, ut Buxtorfius verba ejus interpretatus est, haec deprehenduntur: „Synedrii assessoribus mandatum fuit, ne ipsos lateret ulla scientia, sive vera, sive imaginaria, adeo ut etiam variarum linguarum peritiam haberent.„ Quodsi vero a quovis Synedrii M. Membro tanta rerum peritia artiumque notitia requirebatur, quanto scientiarum ac doctrinae apparatu Praeses ipse omniumque Caput stipatus fuerit, facile est conjecturatu.

3 Au-
f) conf. Celsius de Synedrio Judaico. Seldenus, Frischmuthus ac Bornitius de Synedriis Hebraeorum, aliique, quos Fabricius recenset in Bibliographia antiq. CXIV. 469.

g) in Misc. Sacr. L. II. diff. III. de Syn. Hebr. §. 48. p. 542.

h) in den jüd. Heiligthümern. L. III. c. XIII. 4. p. 461.

i) in Menachot. f. 65. c. 1.

k) in Observ. philol. P. II. obs. V. §. 2.

l) P. II. §. 69. p. m. 127. edit. Buxtorf.

Augerent utique magnam Praesidis Synedrui dignitatem ipsius natales, dummodo, quae de sceptro Duceque a Juda & de interfeminio ejus non auferendo leguntur, ^{m)} eum quoque respicerent. Cel. quidem Dietericus sententiae huic calculum suum apponere non dubitavit, ⁿ⁾ dum: „Praeses, „inquit, seu Dux Synedrui magni semper fuit electus e familia Davidis, uti testatur Chronologia Judaica.„ Verum ei non Vorstius modo, ^{o)} argumentis ipsius sub examen vocatis, magno animo contradixit, sed Graevius quoque, postquam quaestionem illam de ortu Praesidis ex stirpe domoque Judae accuratori animi lance pensitasset, hunc tandem disputationi colophonem imponit: „Falsum est, „temporibus Maccabaeicis, vel totum Synedrium magnum, „vel Caput illius, Praesidem, ex sola tribu Juda eligere, „usitatum fuisse.„ ^{p)}

Quamvis itaque Rex, ex tribu Judae ortus, imperio Hebraeorum capescendo solummodo dignus haberetur: is nunquam tamen in Synedrium adseisci, multo minus regia dignitas cum ea, quae Praesidi Senatus Supremi competebat, conjungi poterat. ^{q)} Judaei enim statuebant, quemvis liberiori animo sententiam suam prolaturum esse Rege absente, quam praesente, utpote cui nefas esset, contradicere, nec in ipsius verbis acquiescere velle. ^{r)}

Nonnunquam tamen eligebatur Pontifex Maximus in Synedrium, ac Praesidis nomen personamque induebat, dummodo sapientia ejus dignitati huic non impar esset. ^{r)}

Illud

m) Gen. XLIX, 10.

n) in antiq. bibl. ad l. c. p. 141.

o) in diss. de sceptro non auferendo.

p) in Syntagm. var. diss. de ablato sceptro Jud. c. IV. p. 404.

q) in Lund. jüd. Heil. L. III. c. XIV, 9. p. 463.

r) Wiusius in Misc. sacr. L. II. diss. III. §. 40. p. 538.

Illud tamen si quando factum esse legitur, Pontifex M. ad hunc honoris gradum adscendit non qua Pontifex, sed qua dignissimum Concilii hujus Membrum fuit. Et sicuti Syne-
drium M. cum Synagoga M. non est confundendum: ita & aliam personam Princeps Synedrii, הנשיא dictus, aliam vero Praeses scholae, ראש ישיבה, gerebat ^o quorum hic doctrinae ac ceremoniarum, ille vero rerum & sacrarum & politicarum curam agebat.

Maximum vero Praefidi Senatus hujus Gravissimo hono-
rem non a populo modo, sed ab omnibus quoque Synedrii
Membris exhibitum fuisse, patet ex reverentia ac pietate,
qua illi, in conclave Concilii, הגויית appellatum, venienti
obviam ibant. Pro gradibus enim dignitatis, qua quisque
ex tribus Synedrii Capitibus prioribus eminebat, diverso
quoque honoris gradu colebatur. Quando hinc Sapiens
חכם, in ordine tertius, in Synedrium intrabat, auctore
Witfio ^o unus surgebat, alter sedebat; adventatam vero,
Praefidis vices gerentem, qui אב בית דין Pater domus judicii
audiebat, duo hinc inde ordines excipiebant surgentes.
Quod autem ad Praesidem, illi intranti omnis adfurgebat
populus, omnes iudices, neque ex eis residebat ullus,
priusquam ipse juberet. Quo facto Pater domus judicii seu
Vice Praeses ^u) a dextra, Sapiens vero, prae caeteris infi-
gnis, a sinistra Praefidis suum occupabant locum, reliquis
Collegis ab utroque latere, illos sequentibus. ^w)

^o) Relandi antiqu. sacr. P. II. c. VII. §. 5. p. 219.

ⁱ) l. c. §. 49. p. 543.

^u) Wisfius l. c. §. 48. p. 542. & §. 78. p. 557. Prideaux Connex. II. und
N. S. P. II. L. II. p. 122.

^w) Wisfius l. c. §. 11. p. 524. Semleri antiqu. Sacr. Script. L. II. c. 3. p. 90.
Hoepfneri Hier. ant. c. IV. p. 24.

Tanta reverentia, tantus honos cum maxima insimul, qua Synedrium ejusque Praeses gaudebant, conjuncta erat potestate ac jurisdictione. Huic enim non civem modo judaicum, cujus demum cunque conditionis, aetatis aut sexus, subjectum, sed Prophetas quoque, crimen falsae doctrinae incurrentes, ac Pontifices, in delictis & facinoribus comprehensos, imo Reges ipsos ob certa crimina in eodem accusatos fuisse, Judaei tradunt. x) Licet vero Synedrio ac Praefecto illius in Pontifices Regesque tanta fuerit potestas: utrumque tamen & Regem & Pontificem extra judicium Praesidi Concilii istius dignitate semper anteivisse, auctor est Lightfootus. y)

Restat Principis Synedrii munus, paucis quoque considerandum. In eligendo Praefecto non ratio habebatur natalitii splendoris, ortusque conspicui, nec opum dignitatumque; sed doctrina saltem ac traditionum notitia spem Praesidii impetrandi conciliabant. Hinc illius erat, traditionem sedulo custodire ac posteritati transmittere; suffragia porro Seniorum de conservanda religionis puritate sacrisque procurandis, de Magistratu in oppidis condendo, de bello gerendo, de hostibus profligandis, de pace ineunda, de terminis regni dilatandis, aliisque rebus majoris momenti in Synedrio colligere; & tandem dum Confessui huic splendido gravissima saepe supplicia, jusque vitae ac necis exercenda erant, Judicum sententiis calculum adjicere suum, poenamque ab iis constitutam irrogare. z)

Prin-

x) Seldenus de Syn. L. III. c. IX. & Schickardus de jure regio c. IV. Theor. VII.

y) in horis Hebr. & Talm. in Matth. XXIV, 3. p. 462.

z) Lightfootus l. c. p. 463. Witsius l. c. §. 51. p. 543. Schickardus l. c. c. I. Theor. II. Coccejus in not. ad Sanh. c. I. §. 5. Lundius l. c. p. 461.

Principes porro quod attinet, qui tempore Salvatoris nostri Synedrio M. praesederunt, illos Rabban Simeonem, Hillelis, eoque mortuo, Rabban Gamalielelem, Simeonis filios fuisse, antiquitatum docent monumenta, a) quorum ille Christum, ulnis exceptum, in templo Messiam confessus esse dicitur; b) hic vero, magni apud omnem populum nominis juris divini peritus, c) ad cuius pedes Paulus educatus & patria lege accurate institutus erat, d) Concilio huic celeberrimo tum praefuisse fertur, cum Jesus Nazarenus supplicio capitis dignus haberetur; quamvis sub eruditis adhuc lis sit: utrum Gamaliel Confessui Seniorum eo tempore praesens interfuerit? e)

Cum vero Praeside auctore Synedrii Membra, iudicium de Christo instituendi ergo, in illud convenirent conclave, quod sub nomine לשכת הדין Concilio huic inserviebat; f) eumque Pilatus, Judaeae Procurator, in causam Salvatoris nostri inquisiturus, in eo pro tribunali sederet loco, qui λιθόστρωτος lapidipavium, hebraice autem גבתיא appellatur; g) quaestio inde oritur: utrum Pilatus etiam, cum res Jesu Nazareni ageretur, tribunal suum in conclavi Synedrii M. habuerit? Illos inter, qui idem affirmant, non ultimum occupant locum Liphtfootus h) & Pfeiffer; i) quibus vero contradicunt Wolfius, k) Witsius, l) alique, affirmantes, quod,

a) *Prideaux l. c. P. II. L. II. p. 523.*

b) *Luc. II, 25.*

c) *Act. V, 34.*

d) *Act. XXII, 3.*

e) *Witsius l. c. c. 78. p. 557.*

f) *Relandi ant. sacr. P. II. c. 7. §. 8. p. 221. Zopfi antiqu. c. VI. §. 2. p. 95.*

g) *Jo. XIX, 13.*

h) *in Loc. Hebr. ad Jo. XIX, 13. p. 1129.*

i) *in Opp. Philol. p. 494.*

k) *in Curis Philol. p. 968.*

l) *l. c. p. 551.*

quod, cum Pilatus, Romanorum sacris imbutus, ^{m)} nec Synedrii Praeses, nec Membrum illius unquam fuerit, ne verisimile quidem sit, illum sedem, Senatui magno in atrio templi destinatam, Judaeis nunquam consentientibus, multo minus per vim occupatam conscendisse. Sicuti hinc Hierosolymis plurima fuerunt loca lapidibus strata: ⁿ⁾ ita eruditi modo laudati statuunt, Pilati tribunal, vel in Palatio ejus vel alibi exstructum & a Synedrii conclavi separatum, τόπον λιθόστρωτον, locum quoque editiorem saxisque aggeratum fuisse. In hoc foro judicatorio Pilatus Christum, in jus vocatum & damnatum crucifigendum tradidit, non quatenus Synedrii Praeses; sed quatenus Judaeae Procurator erat, jure gladii in gentem Judaicam, tum temporis saepe tumultuantem, exercendo a Tiberio Romanorum Imperatore instructus. ^{o)}

Ast quid commoramur diutius in levidensi hoc de Praefide Synedrii M. commentariolo, quod subitae omnino & non praevisae Fascium Praesidialium permutationi, ac pietati in Maecenas nostrae, sincerissimoque reverentiae affectui debemus. Vulnus illud lethale, ex tristissimo MAGNIFICI MAXIMEQUE STRENI DOMINI MOELLERI, PRAECONSULIS haecenus SENIORIS AC PRAESIDIS MERITISSIMI, τὸ ἔργον ἐν τοῖς ἀγίοις, obitu Patriae dulcissimae contractum, sentit adhuc omnis Elbingensium Respublica, & sentiret,

m) Josephus ant. jud. L. XVIII. c. 4. De bello Jud. L. II. c. 14.

n) Relandi antiq. jud. P. II. c. VII. §. 8. p. 221.

o) Deylingii obs. sacrae. P. II. p. 320.

sentiret diutius, nisi Munus illud **PRAESIATVS**
Splendidissimum TVIS, PRAECONSVL
GRAVISSIME, humeris impositum Curiae,
totique Civitati levamentum afferret praesentissi-
mum. Magno enim dolori magno quoque fo-
mento medendum est. Tanta vero Generoso
RAMSEYORVM Nomini
inest veneratio, tanta fiducia, tantus splendor,
ut summus candoris ac gravitatis decor, invi-
ctum animi robur, exquisitum in rebus perspici-
endis acumen, & quod maxime, indefessus labor
ac innata pro Civitatis flore cura, a Majoribus
quasi tradita, in illo residere videantur. His ergo
virtutibus fretus, **PRAESES MAGNIFICĒ,**
aggredere jamjam felici, faxit **DEVS!** sidere **MA-**
GISTRATVS AMPLISSIMI auspiciis **TIBI**
primum oblatos **PRAESIDII** Fasces, tanquam
dignissimum virtutum ac meritorum **TVO-**
RV praemium; & praesentem infimul animi
in **TE** nostri significationem, perpetuaeque ob-
servantiae nostrae tesseram ea, qua soles, aequi-
tate & benevolentia accipe. Dum enim omnis,
cui pax salusque publica curae sunt cordique, ad
vota pro **TVA,** totiusque **MAGISTRATVS** in-
columnitate nuncupanda confugit ardentissima:
quidni in congratulationem ac supplicationum
faustissimarum consortium veniant Musae no-
strae,

strae, quibus haecenus licuit, TE PROTO-
SCHOLARCHA OPTIMO, omni securi-
tate, omni tranquillitate, omnique frui praesidio.
Cedant ergo & in augusta hac PRAESIDIA-
TVS Provincia TIBI, MAECENAS. IN-
DVLGENTISSIME, omnia ex voto & desi-
derio, & TIBI ac per TE cunctis Reipublicae
patriae Ordinibus nonnisi bona, felicia ac pro-
spera semper eveniant. Optima TVA &
salutaria in gubernanda Civitate inita consilia,
quae alacri suscepisti animo, DEVS felici nullo
non tempore coronet successu. Sanitatem TV-
AM, qua in rebus humanis nihil praestantius,
mentisque TVAE vigorem, nullis thesauris
comparandum, quotidie auctum corroboret,
TVISque conaminibus PRAECONSVLA-
RIBVS, prudentia, vigilantia ac consilio expe-
diendis, quam benignissime adspiret omnibus,
Hac ratione licebit nobis, TE, VIRI MAGNI-
FICE, Patriae Patrem, MAGISTRATVS
Ornamentum, Gymnasii praesidium, Civium-
que solatium, saluum, incolumnem ac omni
felicitatis genere cumulatum, superstitem, quod
votorum nostrorum summa est, quam diutissi-
me venerari.



Pol. 8. II 1371

